

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* \*






- I. Eximius Theologicum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti con-  
secratum à M. Zacharia Wommengiero.
- II. Casuum conjectio, quibus moti Status Regni Bohemiae ad Novi  
Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. Epistola ad Christianum Daniae Regem Fran. Angelii.
- V. Soteria Academiae Witebergensis Johanni Georgio Electori Sax. salutata.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Principis  
Anhaltini M. Moezi Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Fur. & Eodem.
- VIII. De vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdesiam.
- IX. Narratio Ulgoris de Johanni Georgii Principis Anhaltini vita et Obitu.
- X. Halitdomia Tremulae Francofurtanae D. Cyriaci Herdesiam.
- XI. Casparis Romani Evergetes Christianus de vita et Morte Georgii  
de Sonauis.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samuelis Dieremii.
- XIII. De Aeris Salubritate et Studiorum Commoditate in valle Franckim-  
m. Eiusdem.
- XIV. De Eruditione, Utrum Literarum Cultoribus sit peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottoniae M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De vita et Morte Joachimi Stralburgi Wilhelmi Stralburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Everhardi inchoato funere sublata.
- XVIII. Programmum Publicum Academiae Francofurtensis.
- XIX. Inuitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Herdesiam.
- XX. De Ratione Status et Prudentia Regnatrix Martini Milagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solenne Funus Octavianii de Schliesen
- XXIII. Exequis Solennes Johanni Christophori Herdesiam.



- XVIII. *Iusta Funeraria P. Gyriaci Herdesiani Conjugis.*  
XIX. *De Pestibus Stuctiorum M. Wulstorfii.*  
XX. *De Expeditione Xerxis in Graeciam Henrici Pietij Kytch.*  
XXI. *Johannis Apianii Polygraphiae.*  
XXII. *Gymnasii Brandenburgici in valle Jousinnid Leges.*  
XXIII. *Gymnasii eisdem Gymnasii.*









ANTIQUITAS COTHONIAE,

*hoc est,*

ORATIO.

De

ORIGINE ET INCRE-

MENTIS PER VETUSTÆ URBIS VE-

TERO-COTHONIAE ANHALTINA-

tus, & qua ratione Prosapia PP. Anhaltinorum  
ceperit & creverit.

*Ad doctrinam Topicam, veluti Cynosu-*  
*ram conformata.*

Informatore & Directore

*Reverendo & Doctissimo Viro,*

Dn. M. BENEDICTO AMBROSIO, ECCLE-

siae Cothonianæ Mystra, & Sacrorum administratio-  
ne fungente,

*Scripta*

ET IN TEMPLO COTHONIANO IN MA-

gno conventu Ministrorum verbi, Nobilissimorum

juniorum, & hominum literatissimorum

Pronunciata

*Ad diem 16. Augusti*

à


CHRISTIANO BROMBEI CO-

THEN ANHALTINO.

WITTEBERGÆ, Excudebat Johan. Gorman, An. 1617.







Amplissimis, eruditione & virtute  
præstantissimis Viris,

**DD. CONSULIBUS**

venerandâ canitie, longoq; rerum politi-  
carum usu peritissimis,

**Dn. BALTHASARO STURMIO**

&

**PAULO BERGKMANNO,**

reliquisq; Senatorij ordinis, in Repub. patria vete-  
ro-Cothoniensium Consularibus, Dominis, Patro-  
nis, susceptoribus & promotoribus suis uni-  
cè suspiciendis

*Hanc Orationem de Vetustate & Origine*

*Patriæ, studiorum suorum primitias*

In debitæ gratitudinis Symbolum,

Submissæ observantiæ *τεκμηρίον*

Diligentiæ declarandæ testimonium,

*Dedicat,*


*Consecrat,*

*Offert,*

**Christianus Brombei Cothênus.**







*Magnificum Patriæ ellogium, viri prudentes, Coss. ac Senatores, Mæcenates honorandi, apud Platonem ingenij & doctrina Principem, literis memoriæq; proditum est:*

Μητρός τε καὶ πατρός, καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἀπάντων τιμιώτερον ὄντι πατρίς, καὶ σεμνότερον. Καὶ ἀγιώτερον, καὶ ἐν μείζονι, μοίρα καὶ παρὰ θεοῖς, καὶ παρὰ ἀνθρώποις τοῖς ὕβιν ἔχουσιν. Id est, Patriæ major honos debetur, quàm matri & patri, & majoribus omnibus. Illis enim præstantior & sanctior est, & in majore habetur auctoritate tam apud Deos, quàm apud homines sapientes. Id cum primis rectissimè ab omnibus piè eruditeq; pijs usurpatur de illis locis, quæ nos nascentes exceperunt, & in quibus vitales auras primū hausimus, ubi infantia nostra vagiit, pueritia lusit, juvenus exercitata & educata est, Ubi familiare oculis cælum, flumina, agri: Ubi longa serie cognati, amici, sodales: & tot gaudij illecebræ, quas frustra terrarum alibi querimus. Quam Platonis sententiam Orator, in cujus ore solidum & penè vivax quoddam Eloquentiæ corpus enituit, ferè iisdem expressit verbis: Chari, inquit, sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: Sed omnes

A 2

omnium





omnium charitates Patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortē oppetere, si ei sit profuturus? Quae cum vera sint, imò verissima, nemo non videt, quantū ego Cothēnus, in veteri hac Gotthorum sede natus & educatus, Patriae meae dilectissima, quae & communi gentium sensu sanctissima & antiquissima, quantum Clementissimis Principibus Anhaltinis, Dominis meis benignissimis &c. debeam. Patriae quidē, quae ardentiori σοειν quam ipsi parentes, diligenda, & majore honore & observantia quam nosmetipsi colenda, & cum in hac urbe invenerim Eunomiam habitare, & sorore ejus, justitiam inviolabilem, quae est fundamentum Urbium, & pacem concordem, quae sunt aurea Themidis filiae, pollentes consilio, & sunt custodes opum hominib. & injuriā & petulantia omnem, quae est mater fastus atq. audacia, arcere student. Principibus debinc, quib. secundum Deum nostra debet conservationē sui, & qui, ex Pindari monito, nō tantū Patriam dulcissimo Gratiarū, sed & coelesti rore Evangelij, & liberalissima artium cōmunicatione & propagatione, omniq. cultura & dignitate Politica ditionē suā universam rigant, & largissime perfundunt. Hujus mei debiti significationē volui hac Oratione, de origine & vetustate veteri Cothonianae urbis conscripta, doctrinae Topicae ordine observato, publicē declarare, in qua si non ubivis τὸ ὀμαλὸν καὶ

πρέπον





περὶ τῶν in personis: καὶ τὸ ὅμιον καὶ ἀευρότητον in rebus observave-  
rim, veniam mihi dari submisſe peto, cum non tam-  
tum omnium hominum, nedum adolescentum, quo-  
rum metis adhuc in herba est, magna sit fragilitas,  
sed & nemo unquam aut usquam inventus, qui  
noverit omnia, quod vel in ipsius Maronis exemplo  
videre est, qui Aeneam cervos in Africa finxit ia-  
culantem, quam tamen regionem cervum non ha-  
bere memoriae proditum est. Hanc autem Oratio-  
nem, quam ad vos viros Clarissimos & prudentissi-  
mos, nec, si mittere aliò vellem, possem, nec si possem,  
vellem. Certè non possum, nec decet, de vincunt n.  
me merita vestra in me collata, Stipendium Bos-  
anum, quo in subsidium studiorum per annum vestra  
liberalitate sum usus, in quo non benignitas solum,  
sed & beneficentia vestra ita apparuit, ut quicquid  
hoc est cartbacei muneris, animo quam ore potius  
nunc promerem, & publico præconio facerè, & sic  
ingratitude viciū turpissimum declinarè, cum  
præclarè dictū sit: Ἀπασῶν κακῶν μητρόπολις ἢ ἀχαρῆσια.  
Nec vellem, ad quos enim iret, nisi ad equissimos la-  
borum meorum aestimatores, & studiorum candi-  
dos iudices. In his si puncta suffragij vestri fe-  
ram, excitabor ad majora suscipienda: Vestri, in-  
quam, suffragij, qui inter bonos doctosq; estis, ut  
quorū mentem livor & imperitia non habet. Nam  
de talibus quid ad me? Scio & Momum, cum Vene-





rem carpere non posset, Sandaliū ejus obtrectasse:  
Ita hic tales tale aliquid, quod in factioso nostro æ-  
vo non sit ad hujus aut illius gustum.

Hic

—————procul atra recedat

Invidia, atq; aliò liventia lumina flectat.

Quare cum omninò confidam per se fore hujus o-  
rationis lectionem plurimis gratissimam, quando-  
quidem quisq; proinnata ἑορῶν patriæ delectatur  
laudibus, tamen à vobis viris Clariss. & pruden-  
tibus peto, ut animum dantis & conatum respici-  
entes, æquo animo eandem accipere, & studia mea  
imposterum fovere & promovere dignemini. Fi-  
lius Dei, custos Politiarum & Ecclesiarum, urbem  
vestram, hospitium Ecclesiæ & justitiæ, protegat,  
& vobis singulis in consulendo adsit, ut illustre-  
tur gloria ipsius, ad vestram & subditorum salu-  
tem, cum temporariam tum eternam. Valet,  
Per scriptum, ex Muséo Cothoniano ad diem 26.  
Augusti, Anni 1617.

Amplitud.

& prudentiæ

v.

Subjectissimus

Cliens

Christianus Brombei Cothenus,

Stipendiarius Boianus.

ORA-




## O R A T I O.

I



## O R A T I O.


 I piæ sunt, Reverendi, Nobilissimi, Doctissimi & humanissimi viri, spectatissima studiorum juvenum virorum, & florentissima juventutis corona, Si piæ sunt, inquam, eæ laudes & officia, quæ parentibus benemeritis à gratis liberis persolvuntur, ut etiam maximum præmium quod homini dari possit à Deo *ἀνασίας* persolutum sit Bitoni & Cleobi, cum Argiam matrem sacerdotem in fanum advexerant, minimeq; reprehendi potest, etiamsi domestica sit, ea commendatio, & dicenti quodammodo communis cum ijs quos prædicat, scilicet quam pietas tuetur, quam officium requirit, & ipsa natura exigit, quam gratitudo deniq; efflagitat! an non longè æquior minusq; criminationi obnoxia videri debet hæc mea qualiscunque Oratio, quæ laudibus non familiæ unius, sed universi Cothoniani principatus matricis urbis, parentis & matris nostræ communis benignissimæ, quæ nos tanquam alumnos suos excepit, & carissima pignora sinu blandiore fovet, instituit, ornat, servat, conservat, impenditur? Imò ingratis omnium meritò haberi possem, si hoc non facerem, & illis à quibus jussus, & quibus meipsum debeo, non in præsentiarum morè gererè, ne dicam omnis rationis expers, cum & volatile Ciconiæ novimus omnem officij mutuam rependere vicem solere, ut hinc *ἀντιπελαργεῖν* natum sit proverbium. Quæ cum ita se habeant, reprehendere ecquis jure institutum meum videbitur posse? Si cognoverit me in hac dicendorum exercitiorum Cathedra tam gravè dicendi argumentum elegisse, ut de fundamine & constitutione & gubernatione Urbis nostræ, & quidem filum, quod Ariadne divino munere hominibus concessa

Logica,



O R A T I O.

Logica, à summo Philosopho & alijs tradita & exulta, in quàm qualem cunq; operam & curam nostram hactenus impendimus, nobis impertita est, secutus, dicerem Quod si vos exiguo temporis curriculo aures animosq; vestros attentos mihi, ex innumerabili copia eorum, quæ de Cothonia dici possent, pauca libanti, præbueritis, spero fiet, ut Patriæ nostræ dignitatem, antea non ignotam vobis, clarius & illustrius cognitâ habeatis. Hoc quoq; à vobis peto, ne quid hûc præjudicatæ opinionis adferatis, nève permoveamini stultis ac temerè jactis vocibus quorundam, qui quæ non intelligunt vituperant, ejus generis hominû, qui meliores obtrectare malint quàm imitari, & quorum similitudinem desperent, eorundem adfectent similitatem: scilicet, ut qui suo nomine obscuri sunt, aliorum innotescant.

Quod in describendis urbibus vel maximè agi solet, ut de antiquitate & origine earundem primò inquiratur, id quod patria mea Cothonia nomine & omine suo quodam jure postulare videtur, id mihi etiam faciendum duxi, quæ sanè consideratio plurimis rebus afferet lucem, urbi dignitatem & ornamentum conciliabit, & ante-acti temporis memoriam commendabit, & viæ topicæ, cui insistendum, non inconueniens erit. Antiquitatem si consideres, ab ipsis autoribus & patronis deducere libuit. Constat autem Anhaltinorum Principum & Comitum Ascaniæ, quibus nostra paret, stirpem esse antiquissimam, quæ sola ferè, alijs vetustate obtritis, aut simul cum ipsis familijs abolitis, vetustissimum gentis suæ nomen, ortum ab antiquis Ascanijs, qui ad Hercyniam sylvam, (quæ apud nos Cheruscos Albim hactenus constanter retinet nomen suum vetus, veteribus Græcis & Latinis scriptoribus celebratum) & hæc loca incoluerunt, inter tot motus familiarum, mutationes, variasq; vicissitudines, conservavit. Quid nunc memorem tot antiquissima stemmata, tot majorum imagines, tot pacis, tot belli clarissima facinora atq; parva trophæa. Quid deniq; innumerabilia alia, splendida visu, illustria relatu, jucunda auditu, copiosa prædicatu omnia, ut centum linguas, imò centena principum eloquentiæ millia fatigare possent. Constat historiarum gnaris,





## O R A T I O.

ris, hæc loca olim gubernata esse à Berengario, oriundo ex  
 Principe quodam Saxone, qui ex Insula Scandia, vel ut quibus-  
 dam placet, Scania Svecos & Norvegios per Albim, ad mare  
 magnum Germanicū circa Westphalam & Frisiam deduxerat  
 & Colonias suis, cum regnum res inter Deos hominesq; pul-  
 cerrima sit, diviserat, cujus profectiois causa vel hæc fuit,  
 quod peregrinationibus delectarentur, sive quod omnes fate-  
 antur, Regnum inter divina humanaq; bona maximum augu-  
 stissimum & summo studio appetendum esse, seu quod terras  
 quærent uberiores & fertiliores, inquieti naturā Saxones, de  
 quibus Sidonius Apollinaris Episcopus Arelatensis scribit:  
 Nullus hostis hoste Saxone truculentior est, nec robore tan-  
 tum & audacia, sed etiam consilio & arte periculorum aman-  
 tissimus vincit. Et quicquid Philosophus de Gallis ait, illud  
 de Saxonibus ego: Saxones neq; terræ motus, neq; fluctus me-  
 tuunt. Hic Berengarius obtinuit principatum ad Harcyni-  
 am sylvam, seu ut quibusdam sylvam Harcynicam, & arces  
 Balckenstadium & Ascanium ædificavit, atq; in istis locis, tan-  
 quam rerum ac fortunarum suarum sede incolendi causa re-  
 mansit. Hujus posteritas tam egregia virtute & sapientia do-  
 nata & aucta fuit, ut ad Tetrarchias duodecim nobilissimorū  
 Principum liberi imperij Saxonici, cujus forma gubernationis  
 eum temporis Aristocratica erat, adhibita fuerit. Hinc pri-  
 mus ad bellū Saxoniz, duodecim Principibus domi Rempub.  
 æquo jure administrantibus circa annum Christi 524. Berntho-  
 baldus primus ex Berengarij stirpe, in Balckensted & Ascanio  
 Dominus, electus fuit, quod & accidit Bernthobaldo secundo  
 circa annum Christi 606 Berntholdo primo Anno 630. & Be-  
 ringæ, Berntholdi primi filio, quibus ituris contra hostes Re-  
 gem Thuringiz & reges Galliz, concessa fuit potestas regia,  
 quâ præditi, vel tercentum contra homines concurrere pugna  
 audent, de quibus illud Agesilai dicere possum, eos habuisse &  
 in hostes audaciam, & in subditos benevolentiam, & ad occa-  
 siones solertiam, Excelluerunt enim virtutibus, optimis duci-

B

bus





bus dignis, animi nimirum magnitudine, prudentia, fide, modestia & alijs, quibus semper in ore:

*Aurea virtutis merces sudore paranda est.*

Hinc totus principatus Ballēstedianus & Ascaniensis, de mortuis Berengariorum & Bernthobaldorum hæredibus & successoribus, jure hæreditatis translatus est ad principem nobilium Ursinorum in Italia Aribonem sive Aribertum, in quem illud ipsum, quod Herodotus de Aristide Atheniensium duce affirmat, quadrat, eundem fuisse virum optimum & justissimum, utpote à quo genus & proavi principum Anhaltinorum fuerunt propagati. Huic enim & Alberto Urso Comiti Ascaniæ, cum Udonem Marchionem Bribislaus Obotritorum regulus expulerat, & posteritatem ejus extinxerat, cessit Marchia Brandeburgensis, ex quo Bernhardus Anhaltinus natus est, cui Fridericus Barbarossa, postquam Henricum Leonem Superbi filium, omni principatu exutum pepulisset in exilium, Saxoniam partem, adjuncto ducis titulo, propter egregie navatam in bello operam, honos enim ipse virtutis labores dignè compensat, attribuit, sub cujus Friderici primi seu Barbarossæ obitum & Anhaltinus duces hæreditario jure Saxoniam ad annos 242. Marchiam ad 205. possederunt. Simul enim duo fratres princeps Henricus ab Anhalt, & dux Albertus Saxoniam, & Henrici patruus Otto primus, Marchiam, Electores fuerunt, quorum imperium viros satis abundè ostendit, circa annum 1189. Ultimus Marchionum, è stirpe Alberti Ursi, fuit Woldemarus, qui sine sobole fuit, & licet subditis è veteri stirpe Ascania principes Anhaltinos certos Dominos constituisset, sine consensu autoritatis publicæ, Ludovicus Marchiam Imperio vendicavit, & in ea filium natu maximum Ludovicum collocavit. Bernhardus Anhaltinus profeminavit Albertum & Henricum filios, quorum & ille duces Saxoniam, qui Witebergam tenuerunt, ante Marchiones Misniæ progeniit, ex quibus reliquum est Itemma ducum  
Laun-



O R A T I O.

Launburgenſiu n. Ab hoc ſimul propagati ſunt principes Anhaltini, qui antiquam patriam gentis Aſcaniæ, (quam ſi ignis cuſtodem dixeris, vel eidem juſtitiæ & libertatis laudem & naturam tribueris, cum nomen ipſum innuat ejusdem terræ Dominos Aſcanienſes excelluiſſe, autoritate, doctrina & virtute, haud peccabis) ad Harcyniæ juga, tanquam terræ Aſcanienſis Domini, & ſic Cothoniam noſtram veterem incoluerunt & adhuc inhabitant. Ex his, quæ breviter recitata ſunt, dignitas & antiquitas hujus Urbis patriæ noſtræ dilectiſſimæ facile conjici poteſt, ita conſtat antiquitate cum quavis noſtrarum urbium noſtram certare poſſe. Quare digna ſatis laudatu ſatis celebris Cothonia, ſi vel ſolum tot & tantorum fundatorum ſuorum decoribus & ornamentis conſpicua floreret, & eorum qui ad eam adhuc incolunt & conſervant, fieret pulchrior & laudabilior: cum princeps principe natus ſit utique verò ſtante hoc principio, minore discrimine ſumi principem, quam quæri, & abſentem quærere non oportere, nec præſentem dimovere. Accedunt complures, quos omnes enumerare longum eſſet, per quos conſtanter, tanquam numina tutelaria, fuit culta & conſervata, & quos ſubſequutus eſt Georgius Princeps Anhaltinus per quem vitam hanc ingreſſi, Erneſtus princeps Anhaltinus, Rudolphus quem Imperator Maximilianus primus bellis Venetianis, Hungaricis & Geldricis præpoluerat, qui & in iſdem exercitum admirabili bellicarum rerum ſcientia duxerat (Veronæ in Italia mortuus) Sigismundus dux belli, Florentiæ mortuus, & Woldemarus, Wolffgangi principis Anhaltini parens, quorum poſtremi civitati noſtræ vacationes, immunitates quamplurimas & privilegia attribuerunt. Cum enim totus Anhaltinatus à prædictis gubernatus eſſet, & robuſtiſſimis vultu columnis ſuffuſus, ad annum 1546. in quatuor principatus eſt diviſus, primus attributus eſt principi Georgio præpoſito Magdeburgenſi & Myſnenſi coadjutori & Epilcopo Marſpurgenſi, principi ac Domino in Anhalt & Warm-





dorff, qui princeps doctus fuit, eloquens & beneficus, verè  
 κοινὸν ἀγαθὸν μέγα, incredibili rerum cognitione ac lectione,  
 cujus nulla egregia opera Theologica prodierunt in publi-  
 cum χάρμα πόλει τε παντί τε δήμῳ, pacis custos, Concordiæ &  
 justitiæ ac religionis assiduus, quam pietatem in Deum pro-  
 barunt quoque, neque professionem Evangelij erubuerunt,  
 ante hæc tempora cum Gregorio, Episcopus Adolphus, prin-  
 ceptus Magnus præpositus, Wilhelmus vocatus frater Ludovici-  
 gius, cujus et Lutherus sæpius meminit. Secunda pars affi-  
 gnata fuit Johanni et Bernardo Cerviciorum principi ac De-  
 mino laudatissimo & pientissimo. Joachimus Ernestus olim  
 patriæ pater, et literarum literatorumq; Fautor insignis, qui  
 et Gymnasium illustre Sereftanum felici sidere aperuit, egre-  
 giam arcem Dessanam ædificavit, et pontem per Albim con-  
 stituit.

*Quo nihil majus melius vè terre*

*Fata donavere, boniq; divi*

*Nec dabunt, quamvis redeant in aurum,*

*Tempora priscum,*

Dessaviensem obtinuit. Horum gentili Wolffgango, qui  
 Woldemaro principe nato, et nato Cothoniæ Anno Christi  
 1492. imperante Friderico tertio anno ejusdem, 52. piæ et  
 nunquam satis laudatæ memoriæ, cessit Cothonienium civi-  
 tas, qui princeps pietate in Deum, et clementia in subditos  
 excellens, verè quod Augustus Imperator aliquando de Cice-  
 rone caso ac interfecto dixit: λόγιος ἀνὴρ καὶ φιλόπατρις.  
 id est, princeps eruditus, amans patriæ et civitas suorum: Ac  
 quod de Pindaro Thebano, viro sapientissimo, veteres sapien-  
 tes commemorare soliti: ἀμενος ξενοισι καὶ φιλοῦ ἀσσοῖς, quod  
 est, vir ubique gratus, commodus et acceptus, nemini invisus,  
 sed dilectus civibus ac subditis, ut qui re ipsa præstitit, quod  
 Hadrianus Imperator sæpe dixit: Se Rempub. ita gesturum, ut  
 sciret



sciret populi rem esse, non propriam. Hi singuli & universi ferè longa serie, ab ipsa usque stirpe famigerati fuerunt laude pietatis, virtutis veræ ac clementiæ in cives & subditos. Nec enim potest esse tutius scutum, non magis fida in terris custodia, nec fortius propugnaculum ad principem defendendum, quam amor, benevolentia civium, provincialiumq; suorum, quorum corda si demereri ac obligare sibi suæque Reipub. poterit, sicuti nostrates fecerunt, & in pace unita conservare, semet reperiet securissimum, provinciasq; suas felicissimas. In Cothonia Wolffgangus aulam piam, scholarum & Ecclesiarum nutriculam fidissimam instituit, & sanctissimum justitiæ munus in publico utiliter ac decore obivit, (ad Caroli Magni constitutionem: qui in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas sedere voluit) & vitam DEO consecrando subditisque inserviando consumtus, animam Servestæ Anno 1566 die 23. Martij DEO reddidit. Tandem sedes inclyta, communi consensu Clementissimorum principum Anhaltinorum DD. JOHANNIS GEORGII, Christiani, Augusti, Rudolphi Ludovvici quinq; siderum regni, quibus Celsis, DD. meis & Evergetis benignissimis votivum hunc appono:

*Adsit sancta fides fratrum & concordia felix.*

Fundata & condita est Cothoniensium arx nova, cui templū aulicum est adjunctum. In hoc Basilicam suam & Cancellariam usque ad hoc tempus habet Clementissimus Princeps Ludovvicus, cujus pietatem in Deum, justitiam in subditos, & vigilantiam in rebus œconomicis, ad exemplum veterum Principum Romanorum, & prædicti Wolffgangi p. m. cujus sobria aula instituta, ad modum & normam Ducis Friderici laudatissimi, Electoris olim Saxonix, laudatur ab ipso Luthe- ro, quam & Hippocrates, medicorum coryphæus, ivit laudatum, cum intemperantiam quasi fontem quendam morborū esse scribit, Collegij Cothoniani director nuper Oratione, cui





O R A T I O.

titulus, Panegyricus Ludovvicianus, est dignè prosequutus, De istius Celsi, alijs, quas in eam Deus congessit, virtutibus nihil addam, nisi quod toti orbi & omnibus bonis exemplum memorabile, tantum principem stare in templo aulico, & se, & Ecclesiam & imperium Deo quotidie commendare, & pre-  
 cationem cum tota aulica Ecclesia conjungere ipsum princi-  
 pem, principissam, plantulas generosissimas, quo sanè proba-  
 tur & ipsius Celsi, sincerè & ardentè complecti doctrinam  
 cœlestem, & auxilium gubernationis à Deo bonorum omni-  
 um fonte & imperia constituyente suppliciter & bona consci-  
 entia petere. Hinc manifestum, facilius esse, errare naturam,  
 quàm ut dissimilem sui princeps possit Rempub. formare, &  
 nulla ratione civitas, leges, mores, imitatur, quàm principum  
 exemplo præeunte, & sicut principis est in omni virtute popu-  
 lo præire; ita in hac maximè quæ princeps & caput virtutum,  
 religionem princeps si non prætulerit, quomodo alij? Aureum  
 hîc dictum imprimere cogor: Optimus animus pulcherrimus  
 Dei cultus est. Ex his, quæ dicta sunt, nemo ab homine tam  
 remotus est, qui non intelligat, nihil ulterius excogitari posse,  
 quod antiquitati urbis nostræ & fortunarum primitijs, vel  
 splendidius vel excellentius si non verbis, tamen re ipsa adjici  
 possit, ut non immeritò mihi illud principis poëtarum paulò  
 immutatum usurpem:

*Cotbonium ante alias tantum caput extulit ur-  
 bes,*

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Regiam sive arcem aspicias micantem & sublimibus tectis ar-  
 duam, principe dignam sedem, magnificæ & admirabilis stru-  
 cturæ. Hanc ad publicum præsidium atque munimentum  
 constituerunt veluti Cotboniæ, patriæ nostræ verticem hosti-  
 umq; arctricem. Hanc meritò Acropolin appellare licet, cu-  
 jus acra procul aspiciuntur. Viæ ad ipsum ducunt duæ, alte-  
 ra re-



Ra recta per urbem, quæ rectis ac spaciosis plateis apparet ad-  
 modum decens & venusta, altera per plateam Magdeburgicâ,  
 Stupidum te detinebunt vestibulum, quod rectâ ad ingressum  
 arcis, scalæ & columnæ in ipsa arce variæ, quæ vario colore,  
 conspicuæ eximium præbent loco ornatum, turres duæ, aliq;  
 nova ædificia, nec non muri, fornices, infra & supra terram,  
 aggeres, propugnacula. Galliarum hinc, Franciarum, Italiae, Germa-  
 niæ & aliarum exterarum nationum mores & picturis egregi-  
 is & vivis coloribus, in quibus singularia omnia expressa sunt,  
 intentis oculis perlustrabis. In conspectu locus offertur area,  
 quatuor iisdem æquis lateribus divisa, proinde quoq; tota ædi-  
 ficij figura efficitur quadrata, aula circum circa columnis un-  
 diq; suffulta. Locus paulò inferius in arce media ad dexte-  
 ram eunti conspicuus, ad unius Dei veri venerationem & cul-  
 tum destinatus, cum religionis in animos magnum imperium  
 sit, & vitam nostram religione constare verissimè dixit, ille, cu-  
 jus naturalis historiæ libros, eruditorum consensus thesaurum  
 eruditionis ac Bibliothecam quandam esse judicavit. Neq; fu-  
 git Clementissimum nostrum religionem neglectam aut pro-  
 lapsam semper secum traxisse, & trahere Rempub. universam.  
 Et Lactantius asserit: Ideò mala omnia rebus humanis cotti-  
 diè ingravescere, quia Deus mundi hujus effector & guberna-  
 tor derelictus est: cum susceptæ sint, contra quam nefas est, im-  
 piæ religiones. Hic itaq; locus præbet occasionem demeren-  
 dæ gratiæ apud Deum, ut omnes aulae incolæ in animo & ex a-  
 nimo Deo vero preces concipiant & vota faciant, ne Ecclesiæ  
 neq; principi quidquam flebile contingat, gratias Deo omni-  
 potenti agant, scientes omnia prospera evenire colentibus  
 Deum, adversa spernentibus. Quomodo enim huic, qui in-  
 terest animis nostris & cogitationibus nostris intervenit, ali-  
 quid clausum esse potest, sed potius viget, sentit, meminit, re-  
 git & moderatur omnia. Noster itaq; Respub. status optabi-  
 lis & firmus censendus, in quo & privatim sanctè innoxieque  
 vivitur, & publicè justitia & clementia vigent. Hinc divinus  
 vates respexit, cum inquit:

Utq;





Utq; alios alij de religione docerent,  
 Contiguas pietas jussit habere domos.  
 Hinc urbes structæ, quarum est ante omnia  
 munus

Afferuisse Deo, quam jubet esse, fidem.

Et cum doctrina cœlestis sine justitiæ administratione conservari non possit, templo adjunctus est justitiæ locus, principis consilium, & civitatis oraculum, cum jus & æquitas vincula civitatum, quibus remotis regna nihil sunt nisi latrocinia. His de Oratorem audiemus: Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ justitia, sine qua nihil potest esse laudabile. Hanc Xenophon requirit, cum inquit: Ego verò nullas opes viro ac præsertim principi pulciores honestioresque censeo, quàm virtutem & justitiam.

Hic sibi jam pridem sedes Astræa locavit,  
 Princeps imperium solio sublimis eburno  
 Exequitur, pœnasq; viris et præmia ponit.  
 Nec mora: diffugiunt fraudes, fugit improba  
 longè (tes.

Gratia, quæq; avidas pervertunt munera mentes,  
 Nil odium, nil ira potest, discrimine nullo,  
 Nobilis ac plebejus, inops an divite censu,  
 Solus an hinc illinc magnis stipatus amicis,  
 Consequitur jus quisq; suum: trutina omnibus  
 equa est

In hac domo tibi sese offerunt viri Nobilissimi, celebres & sapientes, Reipub. & Ecclesiæ adjutores, qui afflante justitia oracula reddunt,

Consi-



*Consilioq; suo regni moderantur babenas.*

Hinc vel ipsa mentis magnitudo in principe cognoscitur, at-  
testante celeberrimo scriptore, : Nullum majus indicium  
bonæ mentis princeps potest ostendere, quàm ut adjungat si-  
bi, & familiariter utatur viris, qui virtute & fama celebres, qui  
communi salutis & rebus proprijs benè consulant & propria  
rectè administrant. Quis enim non statim judicabit eum ta-  
lem esse, quales ij qui apud illum. Ad sinistram è regione tem-  
pli profert se fons pulcerrimus, quem si quis καλλιρόην no-  
minabit, ab errore erit inanis,

*Fontibus antiqui senserunt numen inesse,  
Ipsi cum scateant ullo sine fine perennes.*

Unde poëtarū Doctissimi Najades suis carminibus celebrant,  
& Pindarus multis Odis, pretiosius undis esse nil, memorat.

*Sic nos miramur cœlesti munere fontem,  
Rorantem, sacris etq; antra liquentia rivis.*

Descendentibus ab arce in oculis posita sunt viridaria, plani-  
cie & magnitudine circa arcem conspicua, quorum ornatus  
& pulcritudo major est, quàm ut ego paucis eandem enarrare  
valeam.

Adhæc sicuti optimus & modestissimus quisq; ita Clemen-  
tissimus noster à natura trahitur, & in quod studium ab omni  
ævo tam cupidè consenserunt selecti inter gentes. Et cum,

Δένδρεσι μὲν χειμῶν φοβερόν κακόν. &c.

*Arboribus mala pestis hyems, incommoda  
terræ*

*Ariditas, cervis retia, viscus avi,*

Acceperunt quidem horti illustres ante annum cladem hye-  
mis acritate plus quàm Cannensem. : Sed tamen multi mili-  
tunq;



tum melioris & Italici sanguinis, ingenij & dulcissimi supersunt. In hoc studio priscos Romanos respice & Græcos, qui positis alijs curis, soli in hac cura. In illis quidem omnes sapientes, qui remoti ab insano foro & urbe hortorum se spacijs sepibusque clauferunt. Tarquinium Romanorum regem videbis in hortis molliter ambulans & papaverum capita refecantem.

Cato Censorius rebus hortensibus deditus fuit. Lucullus post Asiaticas victorias in hortis otatus est, Sulla abjecta dictatura suaviter hinc consenuit, Diocletianus princeps olera sua & lactucas ad Salonam, purpurâ & omnibus sceptris prætulit. Quem itaq; & in Cethonia nostra non delectaret tam varius aspectus & cultus magnæ matris? Terra circa arcem herbis, arboribus & non sponte natis arbutis, sed ex Italia non exiguo sumptu allatis, vestitur, fruge, fructibus & feliciore ligno. Oculorum aciem tibi intuenti præstringet illud ipsum nocte exortum agmen florum & herbarum. Deniq; & salubunt te ibidem & circa urbem chori illi alitum suaviter fritillantium, trutillantium, minurientium. Vitem florentem oculis usurpabis tuis & maturescentem: & spe jam præbibis sacrum illum alibilemq; liquorem. Nam & hinc felicius uvaeproveniunt, & vina,

*Quæq; Methymnaeo possent certare racemo,  
Nec pyrus aut prunus, nec ficus aut innuba  
laurus,*

*Nec frondosa deest Platanus, nec populus in-  
gens.*

*Cedant Alcinoi, cedant pomaria Pæsti,  
Ægeriaq; nemus: quæq; aëre pendet in alto  
Terra Semiramei (si verè creditur) horti.*

Intra mœnia arcis campus est, decursibus aptus equorum. In  
arcis



arcis vicinia apparet ædificium præsidiale ἀδωροδοκῆτων nationum portus, judicijs publicis & foro destinatum, contra vim & manuariam illam legem inventum & in vectum, ut essent, qui summos cum infimis pari jure retinerent. Hoc constituit princeps, ut præsidiales sint custodes, quo nec opulenti injustum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat, sed dicant jus populis atq; injusta facta tollant. Huius iudices meritò καὶ ἀρετὴν καὶ ἀγνότητα τὰς χεῖρας dicimus, cum eundem locum non tantum crimine, sed etiam suspitione criminis carere cognoverimus.

*Hoc se præcipuè jaçt abunt vindice leges*

*Huius ab omnigena purum mercede tribunal*

*Certum erit & portus q̄ bono, scopulus q̄ nocēti.*

Et cum majores nostri quatuor gradibus putarunt opida distinguere:

*Inter quos primum sanctus tenet ipse Senatus,*

*Mox q̄ sacerdotum turba in violada secundum,*

*Tertius est proprius qui Martis castra sequuntur,*

*Artifices quarto veniunt & rura colentes. (tur,*

*Ergo loco primo recinam te clare Senatus.*

Stat curia magna mole condita, sapientibus incluta consilijs, qua curant venerabili longoq; ordine patres, populum subiectum, leges & legum nervos observant, & pacem tuentur; Hæc ædificata & absoluta Anno 1457. Cos. Dn. Johanne Hufnagelio, Jacobo Boskaul, Henrico Hinnickio, & Martino Biechenio Senatoribus. Huic manum porrigit templum Parochiale magnificum, novo choro extractum. Anno Domini 1400 in vigilia S. Pancratij, in quo vera Dei purè doctrina docetur. Ut enim navis, ædium, aliarūq; rerum carinas atq; fundamenta volumus esse prima & firmissima; sic debemus meritò in Repub. religionem, tanquam basin & fundamentum, idque ex doctissimi monito: pietas primum substernitur, ful-





crum & crepido, cui firmiter infistat simulacrum. hoc regni. Ita q; nobis est Christiana religio, quam solam Orthodoxam & Catholicam dicere possumus, qua unus verus Deus secundum doctrinam Christi, in Scripturis Canonicis revelatam, purgatissima pietate cognoscitur, verè colitur & glorificatur & qua cognitione & cultu fidei scilicet veræ homines, qui veritatem pietatis agnoscunt, salvantur. Inspectorem habet virum à se & virtutibus clarum, & præconijs nostris meritò faciendum. Nobiles alit Cothonia, qui revera optimates optimi, celsi, alti, sinceri, virtutis, gloriæ & literarum amantes, in quibus verus Romanus sanguis apparet.

*Et — generis numerosa vetusti  
Stemmata avum virtus, & opes sine crimine  
parta?*

Cives si respexeris, quis eos non honesti boniq; appetentes tales amet? Sunt Mercuriales fateor, sed ijdem virtutis, prudentiæ & sapientiæ candidati ac mystæ. Universum gregem, gravitas ubiq; & modestia, sed & comitas quædam adjuncta & decens alacritas animorum.

Mercimonia est! sed cum elegantia! pecuniæ studium & agriculturæ, sed sine detrimento melioris studij, id est, religionis, artium & virtutis. Habet & magnificas ædes opidum nostrum & ædificijs perpolitum ornatum, ex quorum numero diversorium publicum magnum, ædificium Bosanum duabus turribus in foro conspicuum, ad Ursam diversorium Slavonicum sive Scalunense, recens à Clementissimo conditum, & alia, Portam Halensem 1415. majore Turri ædificatam. Paret hæc urbs principi Anhaltino Ludovvico, Consularijs, Præsidijs, Senatui qui civibus præest. Ipsa structura est ferme triangularis, si plateas & vias, Halensem, Magdeburgensem & Slavonicam consideraveris? Licet in hac vera & Dei notitia, & juxta leges certas cum norma juris naturæ congruentes retinetur tranquillitas, & doctrinarum studia liberaliter foveantur.





tur. Conservat hæc eadem, ut aliæ, religionem, justiciam ad-  
ministrat, usui hominibus & humani generis ex parte propa-  
gatio est, habent enim & cives domus singuli, & concionem u-  
niversi, & in theatrum ascendentes delectant animos specta-  
tionibus & auditionibus varijs. Bello, ex quo nulla calami-  
tas, acerbitas, diritas est, quæ non nascatur, oriatur, creetur,  
ante hæc fuit miserrimè vastata. Visuntur enim loca antiqua  
& vetera monumenta ac rudera, & campi,

—— *Ubi prior Troja fuit,*

Ideoq; armis multorum objecta & aliquoties civilibus bellis  
fuit vexata, quæ inter alia mala homines barbaros, feroces &  
pravissimos in perniciem urbis Cothonianæ adduxerunt.

Prima clades huic & vicinis illata est anno 1115. mense  
Octobri, cum bis mille Sclavorum & Vandalorum ex Mar-  
chia, alijs similiter conjunctis convolassent, & trans Albim,  
propè civitatem Aquensem trajecissent, auxilium laturo Im-  
peratori Henrico, hujus nominis quinto ad sylvam Wolpen-  
tem sive Gvvelficam, qui non tantum hæc & vicina loca de-  
prædati sunt, sed & urbem funditus deleverunt, & solo aqua-  
runt. Horum tamen rabies Vandalica impunè non abiit. Hi  
enim ab Ottone magno & divite, Comite Afcaniense & Mar-  
chione Soldvvedeliense profligati sunt, qui minore comitatu  
equitibus suis eos invadens 1400 trucidans, 300 captis, ma-  
gna edita strage eos expugnavit, reliqua 6000, cum multitu-  
dine ingente undis Albis fluvij propè Aquensium sedem fue-  
runt suffocata. Quod eodem die & anno accidit, quo Saxo-  
nes Imperatorem Romanum Henricum, hujus nominis quin-  
tum, qui proprio parenti, ad Absolonis exemplum, imperato-  
riam potestatem detraxerat ad Sylvam Gvvelficam, seu ut qui-  
dam Wolffensem tempore hyemali funditus straverunt, ad  
diem 11. Febr. 1115. Nec silentio præteream hostilem petiti-  
onem, qua Anno 1276. Fridericus Marchio, Landgravij Hen-  
rici Thuringiæ & Marchionis Misniæ filius, cum Comite Leis-  
nicense,





nicense, cum fugâ ex custodia se eripuissent, ferro & insidijs regionem Anhalticam invadens, nihil intactum reliquit, cui ferro & igni noceri potuit, nihil prætermittens, quod coloni & pecora pati aut timere possent, quin etiam urbem nostram violentiâ impetu oppressit, eâq; bello potitus defensores vallo depulit, tormentis mœnia funditus stravit, solo æquavit, & tetra atque detestabili oppressione cremavit. Sed de hac re plus satis, venio ad damnum ingens & malum, quod Archiepiscopus Gûnterus nostrati intulit, qui Anno 1406 post natum CHRISTUM ad eandem oppugnandâ venit, lapideos globos magni ponderis in eam ex Martis sinu, in quo cuniculos egerat, in quibus rem militarem constituerat, transjecit, vestigia quædam globorum post obsidionem in rei memoriam è regione curiæ in muro templi visuntur, qui & devastationem patriæ nostræ extremam parasset, ex bello nos perterbasset, nisi voluntate & minis Electoris Saxonie Rudolphi, & Marchionis Mysniæ FRIDERICI, qui contra illum arma ferebant, & eorum tubæ atque litui audirentur, fuisset profligatus, in Marsburgo hujus impressionis inita compositione, in Coalbio verò absoluta & finita. Reliquum est, ut percurramus miserrimum nomen proscriptionis acerbissimæ, à Friderico Imperatore Bohemo & Romano denunciata, qua ad totos viginti annos Bannitis Cothoniensibus, aqua, igne & commercijs atque jure togæ interdictum fuit, & ex hominum communione exterminati, sicut patet ex Archivis Curie Cothensis, & literis Vienna datis die Saturni post diem corporis Christi Anno 1445, quam proscriptionem machinatus est, & creavit nostratibus quidam, Cui nomen Conradus RadeGast, qui magnum crimen his paravit, & ad iudicium Camere eos detulit. Intercedentibus tamen celebratis & famigeratis Saxonie quibusdam Nobilibus, Huboldo scilicet à Schleinitz, supremo Mareschalco, Johanne Lösero & Nicolao Pelugio, quos Senatus noster commissarios iudices sumerat, & plenariam agendi potestatem dederat,

rat.





rat, ut se in pacificationem apud Imperatoriam Majestatem interponerent, Gubernante Domino Georgio ab Anhalt Comite, Bannus ille relaxatus est, & dissolutus, & in pristinam dignitatem Cothoniensium civitas fuit restituta, quod testantur literæ Cæsareæ, Neapoli datæ, ad diem Martis post Vigiliam Johannis Anni 1465.

Sequitur ut dicamus de calamitate, in qua nostra hæsit, cum Anno 1547. die Ascensionis Dominicæ Hispanus quidam Sigismundus de Latrôn, terram Cothensem gravissimis tempestatibus Hispanorum & Hussæorum copijs pervasit, vicinas gentes bello perturbavit, rem militarem in agros nostros constituit, atq; urbem invadens agmen Hussitarum in Neostadiû, copias verò Hispanorum in urbem coëgit atq; collocavit, jussu tamen Imperatoris Romani Caroli Quinti & benignitate factum, ut profligato bello & composito, hostis abire jussus sit, & Cothonia nostra salva & intacta manserit, dum Dominus de Latrôn a depopulando milites cohibuit, & ante portam Magdeburgicam Berneburgensium civitas & Coloni ad Sacramenta reddenda essent compulsi. Taceam alias calamitates, incendiorum & deflagrationum, quibus aliquoties magna pars urbis in cineres redacta & absumta; Contagiorum & pestilentia, cujus magnitudine enervata aliquot millia & periculosè ægrotarunt, & jam jam de vita decesserunt. Has miseras passas, nunc Dei beneficio sub principibus nostris Anhaltinis tuta & pacis studiosissima. Regnantibus enim his & Clementissimo nostro nemo meminisse potest, ullas exteras gentes ullam ausas fuisse attentare irruptionem: & quod gloriabantur Israëlitæ de sapientis Salomonis imperio aureo, quod cuiq; in summa tranquillitate & pace sedere sub vite & ficu sua daretur, id sanè non minore jure Cothonia de principum Anhaltinorum & Ludovvici nostri præsentis administratione prædicare potest, qui ab omnium hominum turbulencia immunem urbem nostram & subjectas provincias contra omnes procellas, fluctus, mundi & Diaboli machinationes & subditos suos tuetur,

Agri-





Agriculturam quod attinet, meritò laudanda est Legati cu-  
jusdam Carthagenensium responsio, quam dedit regi Ptolomæo, ad quem simul in Antiochia ex varijs regnis conven-  
erant septem Legati, ex quibus interrogatus hic de legibus, sta-  
tutis & regiminis ordine Carthagenensium, tria respondit: No-  
biles, inquit, nostrates, semper militant: Cives laborant: & phi-  
losophi non nisi docent & instituunt juventutem. Quod me-  
dium sanè de civibus nostris affirmare ausim, qui omnem cu-  
ram & industriam, post religionem, in agro colendo & quidem  
optimo posuerunt. Et quod Virgil. de Italiae fertilitate, illud  
quoque ego de bonitate agriculturæ nostræ, eam esse fertilissi-  
mam atque ubere glebæ, interpretor. Equidem:

*Aureus hic annus, biferaque Rosaria Pæsti,  
Hic propius ductum credas frondere Taren-  
tum.*

Agricultio moriatur & unà hominum genus. Non alia ma-  
gis est libera & vitio carens et usque melior vita, quæ priscos co-  
lat, quàm agricultura. Segetes videbis circa Cothoniam  
& filiginis purissimi, farris, hordei uberes fascies. Hic meritò  
locum habet, illud Euripidis, quando *δικαιότατον κτήν' ἔστιν ἀν-  
θρώποις ἀγρὸν* justissimam hominis possessionem dixit. Ca-  
tonem audiemus: Virum bonum cum laudabant; bonum a-  
gricolam, bonumque colonum dicebant, de quibus ita poëta-  
rum princeps:

*O fortunatos nimium, sua si bona norint  
Agricolas* —————

Quibus hoc voluit dicere, vitæ circa agriculturam occupatæ  
eam esse suavitatem, eam hominum huic vitæ generi addicto-  
rum conditionem felicem, ut si satis eam noverint homines, o-  
mnes complexuri essent. Nam & ipsa lucrandi ratio justis-  
sima, & à litibus & foro perquietata ac remota. Victus ac cibus  
saluber.



saluberrimus, tum ipso genere, dum famem obsonant labore atq; exercitio: & omnis demum vita à turpibus moribus remota et sancta quadam integritate conspicua, ut mihi ex alto mari in portum tranquillum videatur appellere, qui ad rem agriculturæ se transtulerit. Loquatur Orator: Omnium rerum ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Quis itaq; felicitatem Cothoniæ vel hinc non videt, illum cæcutire oporteat. Nec nobis tantum et ad jucunditatem et necessitatem copia suppetit, sed fertilitas tanta, ut miserrimæ locorū exterorum sterilitati suppetias ferre, et non parvas Sitarchias alienarum Saxonix civitatum explere possimus. Quam multos enim externos nostra Respub. alit, sustentat atq; lætificat, haud est obscurum. Deinde in oculis est Arctopolitanis, vicinis Neoburgensibus ac pænè dixerim Dessaensibus. Cives Magistratibus assiduam operam navant, ad omnia ejusdē jussa parati, si quid agendum est, quod animi consilio indigeat, aut virium robore, et studia primaria sunt agriculturæ. Huic nostrati adjectum videbis Xenodochium:

*Magnificum, dives, specimē pietatis honestum,  
Afflictosq; fovens, pressos & sorte maligna,  
Ære, cibo, potu, dulciq; Machaönis arte.*

Nec non molas quoq; aliquot pneumaticas ad civitatis et accolarum usum maximum percommodè ædificatas, atq; conficiendo oleo unam. Quinetiam Dormitorium, publicis usibus destinatum, in quō sepultura honestissima demortuorum omnium corpora afficiunt cives, ut in pace tranquilla conquiescant, edormitura donec divina potentia tumbis evocata, animabus consociata, lætitia in conspectu Dei fruantur æterna. Adhæc inter ea, quæ urbi adjacent miramur cœlestia muna, fontes septem rorantes, sacris liquentes rivis, ex quibus tota civitas augetur, & gelidos laticēs dat amnis amœnus, & fanum Baaliticum, ubi procul dubio gentes olim Baalim, in-

D

fer.





serviendo Dijs, qui Dij non erant, convenerant. Zytham-  
 fluvium urbem nostram præterlabentem, Gentziorum & Cle-  
 pzigiorum pagos, urbes vicinas, quibus cum commercia habet  
 nostra, Aquensem, Berneburgum, Magdeburgum, Dessaviam.  
 Et quanquam hæc urbs ante hac varijs vexata & æramnis  
 pressa, non tamen oppressa, æstuavit sed non exæstuavit, ve-  
 xata non deserta, dejecta sed non perijt, quin potius restaura-  
 ta & reparata in Dei gloriam & multorum hominum salutem.  
 Et licet eadem parva, tamen est sedes Musarum & custos do-  
 ctinæ cœlestis, & habet Deus hîc cœtum sibi placentem, à quo  
 vult agnosci, coli, & vult dare vitam æternam. Propterea  
 nostræ æquè magna est necessitas, quàm aliarum urbium, cum  
 emporium sit ex quo vivunt Mysones, Saxones, & trans Al-  
 bim habitantes, & inde veluti ex equo Trojano innumeri viri  
 docti, Theologi, Jureconfulti, quorum opera vicinæ urbes u-  
 tuntur gratiosa, provenerunt. Reliqua quæ filium Logicum  
 requirere videbatur, brevitatis gratia omitto. Nomen,  
 quod attinet, communis præceptor Germaniæ ocellus illud à  
 Sorabis Vandalis deducit, & idem esse ac Ahenum, quod ferè  
 ista forma nostra urbs appareat, affirmat, nos & solum & in-  
 habitatores pensculantes, opinamur urbem sic vocari, ab an-  
 tiquis populis Chatis, Mysonibus vicinis & Saxonibus, (se-  
 quor hîc mentem Livij, & Plutarchi in Theseo: In rebus an-  
 tiquis, & quæ similia vera sunt, pro veris accipiantur, satis ha-  
 beam) qui & cum Getis Germanica lingua sunt usi, id quod  
 quamplurima Principum & Ducum nomina confirmant, &  
 cum posteris, ante Christum natum hæc loca incoluerunt, &  
 castra sua hûc sunt meditati, vel à Germanico Roth sive Rath/  
 à terra glebosa, uberrimi lætissimiq; fructus, agro scilicet be-  
 nè culto, & fertilissimo, quo nihil est nec usu uberius, nec spe-  
 cie ornatus, cum fundus nostratis verè sit  $\beta\omega\lambda\theta$ , qui  $\alpha\epsilon\pi\epsilon\gamma\upsilon$   
 $\alpha\upsilon\zeta\alpha\upsilon\epsilon\iota$ , quo nomine & Virgilius Italiam suam propter ferti-  
 litatem & copiam dixit: Terram potentem ubere glebæ.

Diversas partes si attendamus, alia superior, quæ jamdu-  
 dum vastata, alia inferior, quam nos nunc inhabitamus, vetus  
 alia,



alia, alia nova, quæ huic adjacens, mutuas & fraternas operas præstare solita. Hinc Cothoniam nostram dicimus urbem, ab antiquis Ascaniæ Dominis, adeoq; principibus Anhaltinis ædificatam, arce, templo, & curia alijsq; novis ædificijs extructam, forma triangulari, in solo limoso atq; ubere stantem, eisdem Principibus Anhaltinis subjectam, veræ religionis, justitiæ & agriculturæ nomine clarissimam.


Testimonia si quis requirat, adeat historicos miros gravissimos, veritatisq; amantes, in quorum libris inveniet congruentiam cum ijs quæ asseveravimus, Chronicon cum primis Carionis à Philippo Melanchthone, & Casparo Peutzero, viris æterna memoria & fide dignis, quinq; libris expositum, Genealogias, propter Anhaltinorū Brodusij, Chronicon Misnicum, Spangenbergium & aliorum. Hæc sunt, quæ temporis & loci habita ratione in præsentiarum afferre & volui & debui. Deo itaq; gratias agimus, quod Cothoniam nostram hætenus sub ejusmodi Magistratus, cui vera pietas & justitia curæ, præsidio esse voluit. Summus ille Rex Regum rogandus est, ut Clementissimo nostro concedat fervorem, cum prudentia; Severitatem cum Clementia; & Amplissimo Senatui actiones cum salute civium conjunctus, principis mentem, corroboret, atq; eidem animum inspiret, ut si quid forsitan dispersum, colligat, lapsum erigat, depravata corrigat, infirma corroboret, turbulentia componat, efficiatq; ut neque majorum & atavorum prædictorum Bernthobaldi fortitudinem & sequacium animi excelsum, Georgij principis vitæ sanctimoniam & doctrinam, Wolffgangi admirabilem in Deum pietatem, Joachimi Ernesti inexplebile propagandæ religionis studium & effusam atque incredibilem & omnibus seculis deprædicandam in omnes gentes & subditos Anhaltinorum principum caritatem ac beneficentiam in nostrate desiderare neutiquam possimus. Benedic Domine Deus Urbi nostræ & omnibus inhabitantibus eam, sit in ea sanctitas, castitas, spiritualis disciplina & obedientia. Æternùm conserva Domine in ea sperantes in te: Clausula sit votum Psalmographi, à Poëta Scotico expressum: D 2





*En bonitas, en alma fides feret obviam gressus:  
 Terra fidem, caelo terras Astraea relicto  
 Sancta colet: comes Astrae bona copia caelo  
 Appluet, & laetos decorabit frugibus agros,  
 Et quacunq; feret Dominus vestigia, gressus  
 Anteferent jus fasq; suos: lis, visq; dolusq;  
 Deferet Ascanias, Patria o dulcissima! terras.*

D I X I.



*Liberali indole, eximia spe, & summa  
 probitate Adolescenti,*

**CHRISTIANO BRUMBEI,**  
 COTHENO, DISCIPULO SUO INGE-  
 nuarum artium studiosissimo.

*T*epia causa movet patriae monumenta referre,  
*Getica nam pius est fata referre labor.*  
*Jure facis, pergas, Juvenis nec parce labori,*  
*Sic hominis grati nomen habere potes.*  
*Disce libens, nil dulcius est, quam discere multa,*  
*Cum virtute gravem Musa perire vetet.*  
*Copia telorum te non absterreat, ecce*  
*Signa ferēs animi sed manifesta pi.*  
*Sic celebres inter tandem tua fama virebit,*  
*Semper bonos maneant, laus tibi summa, decus.*

Depererat

M. Benedictus Ambrosius Ecclesiae Cothoniana Diaconus.

A D



AD ORNATISSIMUM DN.

CHRISTIANUM BRUMBET CO-

gnatum suum charissimum COTHENÆ

Eloquentiæ studio operam dantem.

**V**T bonus Autumnus cunctis sua munera mittit,  
Et spicis cingit tempora grata Ceres:  
Sic CHRISTIANE capis studiorum præmia, abunde,  
Ingenij dum te dote valere, probas.  
Hunc tibi Suada nota, magnis hunc excole donis,  
Hunc Musæ varijs condecorate bonis.

*Amoris & honoris ergo dabat in*

*Academia ad Albin*

Edzardus Martini Alumn. Elect.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑ ΦΙΛΙΚΟΝ,

Ad Ornatissimum & doctum Juvenem.

Dn. CHRISTIANUM BRUMBET,

Contubernalem & Amicum suum plus

quam Pyladeum.

**E**ST decus eximium, laus ardua, bella subire,  
Propatria, ac longè virtutem extendere factis,  
Amphitryoniades redi vivam mortibus hydram  
Sic necat, austeri rumpunt Acheronta labores!  
Præstat, in Aonidum meruisse stipendia castris.  
Gloria Musarum major: sed Martis honores  
Subduntur: Musæ sunt cœlica numina vatum.  
Ergo tuam patriam quod laudas, approbo, Brombei  
Et sic doctrinæ Logicæ documenta relinquis.  
Macte igitur donis, virtuteq; macte probata.

D 3


214



*Qua raptus penetras patriæ penetralia vestre.  
Perge modo, monco, propero procedere gressu.  
Sic tua Stelligerum, sublimis in æthera surget  
Gloria: perpetuum gaudebunt corde parentes.*

Tuus  
Virtute & ingenio  
Candore totus

Elaias Reinhart Höymensis Anhal-  
tinus Collegij Cothoniani Alu-  
mnus,



*Ornatissimo Iuveni Viri,*

Dn. CHRISTIANO BROMBEY, CO-  
theno, Sympatriotæ meo percharo, Orationem De O-  
rigine Patriæ recitante salutem.

**T**u patriæ resonas merita præconia laudis,  
Et das eterno, carmina digna, Deo.  
Hoc igitur, quis erit, quin laudet amabile cœptum  
Jure tuum, votis annuat atq; tuis?  
O virtus niveis longè anteferenda lapillis,  
Qua flexus dubios, hem super are potes,  
Usi erit quondam, nec te didicisse pigebit,  
Sic patriæ, haud dubites, clara trophæa feres,

Acclamabat  
Amoris ergò

Bartholomæus Brunovius Cothen  
Anhaltinus, Collegij Cothonia-  
ni Alumnus,

Huma-





*Humanissimo & docto Juveni,*

**Dn. CHRISTIANO BROMBEIO,**

*Contubernali & amico suo singulari.*

**E***Nnatale solum magna dulcedine ducit (sui.  
Brombeium, ac memorem nunc jubet esse  
Qui Logices verè tandem clarescere in arte,  
Qui patri & patrie laudibus esse studet.  
Gratulor ergo tibi captos Christjane labores,  
O minor & patrie commoda multa tue.  
Insta nunc operi fortis, sanctumq; laborem,  
Ingenij celera dexteritate tui.  
Vincere tende tuos, omni virtute, sodales,  
Et pia te virtus tollet ad astra virum.*

*Ponebat*

*Christianus Ernestus Plietronius,*

*Dessanus, Collegij Cothoniani Alumnus.*

**F I N I S.**



DR. CHRISTOPH WOLFF  
F I N I S





Nh 122



ULB Halle 3  
002 714 272




st

107











XIV. 13

ANTIQUITAS COTHONIAE,  
*hoc est,*  
ORATIO.  
De  
ORIGINE ET INCRE-  
MENTIS PER VETUSTÆ URBIS VE-  
TERO-COTHONIAE ANHALTINA-  
tus, & qua ratione Proſapia PP. Anhaltinorum  
ceperit & creverit.

*Ad doctrinam Topicam, veluti Cynofu-  
ram conformata,*  
Informatore & Directore  
*Reverendo & Doctiſſimo Viro,*  
DN. M. BENEDICTO AMBROSIO, ECCLE-  
ſiæ Cothonianæ Myſta, & Sacrorum adminiſtratio-  
ne fungente,

*Scripta*  
ET IN TEMPLO COTHONIANO IN MA-  
gno conventu Miniſtrorum verbi, Nobiliſſimorum  
juniorum, & hominum literatiſſimorum  
Pronunciata  
*Ad diem 16. Auguſti*

à  
CHRISTIANO BROMBEI CO-  
THEN ANHALTINO.

WITTEBERGÆ, Excudebat Johan. Gorman, An. 1617.